Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26122
Copyright: Admont, Benediktinerstift

20

eum unum esse ex lxx discipulis cognomine petri apostoli. Sed et Matthiam ex
ipsis esse dicit, qui pro iuda apostolorum numero subrogatus est, et eum qui cum
ipso est statutus ad sortem. Tatheum quoque unum ex ipsis fuisse tra
dunt, de quo et hystoriam quae ad nos usque pervenit exponere ne
cessarium duco. Nam et plures quam lxx fuisse discipulos salva
toris invenies, si observes ea quae paulus indicat dicens post resur
rectionem apparuisse dominum primum quidem cephae, postea illis undecim,
et post haec amplius quam quingentis fratribus simul, ex quibus quosdam
dormisse dicit, plurimos autem adhuc permanere eo tempore quo scribebat.
Post etiam dicit eum visum esse iacobo, qui erat unus ex his qui fratres
salvatoris appellabantur. Tum deinde tamquam praeter hos etiam
ad eorum tamen similitudinem fuissent alii quidem etiam apostoli, sicut et ip
se erat paulus, addit et dicit: Postea apparuit apostolis omnibus.
novissime autem visus est et mihi. Sed de his ista sufficiant.

NARRATIO vero quam de Tatheo CAP. XVI.

promisimus hunc habet modum. Domini et salvatoris nostri ihesu
christi divinitas cum per mirabilium virtutis opera per omnem locum ce
lebraretur, innumeros tam de vicinis quam de peregrinis et longe
positis pro remediis et curis virtutibus invitabat, si qui praecipue
morbi alicuius egritudine laborarent. Unde et rex quidam Abga
rus nomine gentis ultra eufraten positae principatum nobiliter
tenens, morbo quodam corporis irremediabili quantum inter ho
mines tenebatur. Qui cum de nomine ihesu et de mirabilibus virtu
tum eius audisset, supplex ei per epistolam factus exorat misso in
rem homine diutini morbi vinculis quibus tenebatur absolvi.